



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XLIII. Crucifixio.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

tamen à te promissum est meriti tui præmium. Quamquam non omnino crucis est expers, qui cupit in omnibus tuam facere voluntatem: quo quid melius habere potest in cælo, & in terrâ, *ô Christus omnes voluit per ierendo præcedere,* *ô Deus amoris, ô Amor Dei! quàm felices, quàm opulenti sunt, qui te cum cruce suâ sequuntur? Cyrenæo non datum est antecedere te, sed sequi: quia tu Dominus ac Deus meus non vis, ut te ullus præcedat, sed ut crucifixi videntes te præcedere, illuminentur, animentur, inflammentur. Et qui te semper ante se videt, ô lux paradisi, quid videt? quid amat? quid accipit? quo gaudet? tace, tace, lingua; & tu cor obmutesce. Loquere tu, Domine, ut audiat te servus tuus. Dic tu cordi meo, quid videat, ac sentiat, qui te semper habet ante se, quid portet. Amorem portat, ac portatur amore: ad quid fertur, & quâ? amore, & ad amandum. Amem te, Deus meus, ac totus amore tui consumar! Accende me, ama me, & transfer me in te, ô mi amor divine!*

O Mater Dei, plena crucis & amoris! sine te non voluit divinus Agnellus ferre crucem, ut exhiberet amorem tibi debitum. *Et Matrem sibi proximam esse.* Impetra tu mihi, Domina, per merita tua, ne sim extra vestram societatem, ut in me ostendam id, quod ardens ejus amor meretur. O Angeli, ô cives cælestes, lapides vivi per crucem expoliti ad hanc fabricam cælestem, laudate pro me Dominum; & quia me creavit, ut sim in vestrâ societate, facite ut per suam crucem, & cum illâ sic ducar, ut sim, quales vos estis in oculis ejus. Amen.

ÆRVMNA XLIII. Crucifixio.

I.

 **T**ventum est in montem Calvaria, ubi supremam sui amoris demonstrationem inter maximos dolores facturus erat Dominus, nihil ei temporis permiserunt ad respirandum, sed omnia certatim *Omnia accipienda, velut à Deo irmissa.* egerunt, ut affigeretur cruci. Solutis ergo vinculis, inclementer exuerunt eum vestibus jam agglutinatis corpori, renovando vulnera, præsertim capitis, atque dolores immanes. Ille obediit ipsis promptè in omnibus, magnâ mansuetudine & obedientiâ,

entiâ, tanquam exequentibus præcepta Patris æterni: ad documentum retinendæ pacis internæ, inter successus tristes & contrarios votis. Nam qui falsos amicos, vim, injurias, & alias ærumnas accipit velut ordinatas à Deo, illas immittente per suæ sanctissimæ voluntatis ministros, submittet se omnibus, nullum aspiciens ut inimicum; sed plus dolebit malis, quæ inferunt sibi ipsis, quàm his, quæ accipit ab eis.

*Detrahitur
vestis Do-
mino,*

II. Denudatus purissimus Agnellus, vento perflante saucium corpus, miserabili specie, non otiabatur animo; dum crux aptatur, promuntur clavi, & alia necessaria, stans oculis & manibus erectis ad cælum, cum lacrimis ardentibus & abundantibus, offerebat se denuo Patri æterno in victimam pro salute hominum, exauditus utique pro suâ reverentiâ. Nam hoc est medium placendi Deo, & obtinendi lucem & robur in omni negotio, si inchoetur cum oratione internâ, & oblatione in obsequia suæ divinæ majestatis, quæ non potest non dare bonum exitum rei sic inceptæ. Aptissimus est hic locus devotioni exercendæ, ut anima accedens ad Domini se pedes prosternat, collectura guttas è corpore stillantes, & lacrimas affusura, priusquam affigantur: quo multas gratias consequemur, ac si id egissemus in Calvariâ.

*Potatur
myrrhâ &
felle,*

III. Carnifices, omnibus instructis, Domino præbuerunt modicum vini myrrhâ & felle mixti ad majus tormentum ejus, instinctu Judæorum, loco refocillationis, quam aliis supplicio afficiendis indulgere solet humana compassio. Dubites hic majusne studium fuerit Judæorum in excogitando, quæ Christo forent molesta; an Christi, in curando, ne ulla pars corporis sui abiret sine tormento. Sed vicit Christus, dum omnia membra ejus certarent aliquid pati doloris. Cùm ergo gustus ejus aliter torqueri non posset, felle, myrrhâ & aceto vexatus est, dolore diffusò per intima viscera. Meruit profectò tantus hic amor Domini, ut respondeamus illi, pro perduto habentes, quidquid in nobis est non perfectè impensum ejus obsequiis.

*Cruci im-
ponitur.*

IV. Jussus deinde Dominus se supra crucem extendere, paruit libenter, pro pulvinari habens coronam spineam de novo pungentem, oculis elevatis in cælum, cujus portas hæctenus ob-
sera-

feratas pandebat. Et quia tanquam summus Sacerdos, per quem reconciliati sumus, videbat se tanquam victimam, propter quam erant remittenda mundo peccata, collocatum in altari crucis, obtulit se pro toto genere humano, tota voluntate & amore, cum infinito desiderio salvandi omnes peccatores. Tunc etiam sine dubio passis brachiis vocabat omnes homines, ut eos consolaretur, & offerret Patri. Tunc perfecit reconciliationem peccatorum cum Deo: tunc caelum ac terram complexus univit secum, & fecit unam Ecclesiam, unam domum, unam societatem, in qua regnat Deus. Non fuit, nec erit unquam Sacerdos Deo gratior nec altare sacratius, nec oblatio pretiosior, quam ista, in qua Sacerdos divinus, agnum sine macula, seipsum offert in cruce pro toto genere humano.

V. Christo hoc agente ministri mortis ejus non sunt otiosi. Dicunt eos cepisse à manu sinistra, quâ trabali clavo confixâ, per *Affigitur*
eidem: medios nervos, ut melius ferretur pondus corporis, & iis præ dolore nonnihil contractis, dextra non attigerit pro illa factum foramen in cruce, ut fuerit opus funibus eam attrahere: id quod etiam pedibus factum sit: ex quo coeperit disjungi compago membrorum. Ad hæc omnia Dominus tacuit, sine omni signo doloris, qualia nos edere solemus; vultu sereno & invicto, constantiâ plusquam humanâ, inter dirissimos cruciatus, non tantum perfectissimam patientiam, sed etiam nullam omnino tristitiam ostendendo, ut exterior species simillima esset internæ voluntati & amori, quo patiebatur.

VI. Docuit nos hoc silentio artem ferendi crucem cum perfecta patientia, magno merito & fructu, quo Deo accepti sumus. Qui ergo viderit se collocatum in cruce, primum accipiet eam, velut ex mandato Dei, cum summa obedientia divinæ voluntatis offerendo se ad illam. Deinde caveat omnem lamentationem, neque de Deo, utcunque rigidum experiatur, conquerendo, neque de ulla re alia. Nascuntur enim lamenta ex amore proprio, qui recusat pati. Sed neque actionem instituat, quo jure, quâ ratione id accidat sibi; neque causetur suam debilitatem, aut nimiam acerbitatem rei: sed unica ratio sit, obedire illi, qui to-

tum permittit, & confidere in bonitate ipsius, qui non negabit vires ferendi. Faciat aram ex cruce sua, & se immolet in ea, & offerat ad ampliùs patiendum, quantum, quando & quomodo suæ divinæ majestati placuerit. Et quia natura nostra semper malè aspicit eum, à quo infertur molestia; is qui crucifigitur, habet intra se perpetuam luctam, ut non vincatur tristitiâ, sed in omni re veneretur Deum, æquo animo accipiens, quidquid ab eo proveniret, ac fide dilatans cor confidat gratiam daturum, ut indies fiat robustior. Ad hoc juvabit oculos animi semper habere defixos in cælo, per quod leve fiet, quidquid in terra molestum est. *Id enim, quòd in terra est momentaneum & leve tribulationis nostra, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis; non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna.*

1. Cor. 4. 17.

*Elevatur
in Cruce,*

*Psal. 21,
v. 19.*

*Joan. 12,
v. 32.*

VII. Jam cùm crucem, ac Dominum illi affixum attraherent ad fossam, cui immittenda fuit; cùm inæquali motu eam elevarent, donec funibus tractam erigerent, eaque in fossam incideret; dum cuneis validè impactis firmarent; quis nisi expertus dicere potest, quàm diros tot concussiones ei dolores creaverint? quis illos, qui ex omnium membrorum compage soluta oriebantur? nam sic omnia membra Christi fuisse distracta, ut ossa numerari possent, Propheta disertè testatur: *Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.* Quantum verò id spectaculum placuerit ejus inimicis, vociferationes eorum, ac populi totius indicaverunt. Porro ille sic à terra elevatus erat, ut eum pedibus consistentes possent attingere: oculos verò in terram demissos, & brachia extensa habebat, significans terram, & affectus terrenos nihil habere secum; eos tamen, qui diligunt crucem, ad se posse accedere, séque semper ad eos excipiendos, juvandos, omnibus bonis ditandos brachia extensa habere, & oculis benignis omnes aspiceret. *Ego, dixerat, si exaltatus fuerò à terra, omnia traham ad meipsum.* Traxit ad se cælum, ut possidendum daret peccatoribus: Deum, ut eum reconciliaret mundo; justos, ut inflammaret amore; peccatores, ut pœnitentibus veniam daret ac parceret.

VIII. Do-

VIII. Inter ista, velut immemor dolorum suorum, volvens ^{Patrem pro} animo mala peccatorum, quibus desiderabat mederi, non mente ^{peccatori-} solùm, sed etiam soluto silentio tam diuturno, altâ voce, plenâ ^{bis orat.} amore & lacrimis petivit à Patre misericordiam tum his, qui manibus eum crucifixerant, cùm iis omnibus, qui causa fuerunt suis peccatis, dicendo: *Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* ^{Luce c. 23. v. 34.} Quis amor hoc major inveniri potest, cùm inter tantos dolores, non tantùm pro peccatis nostris veniam orat, sed insuper etiam voluntariam nostram cæcitatem, quâ non minorem pœnam promeremur, quàm ipsis peccatis, tanquam pius advocatus immensâ charitate excusat? Et revera Dominus, qui omnia expendit justo iudicio, clarissimèque vidit gravitatem culparum nostrarum, agnovit eas verè mereri crucem, ad obtinendam veniam; quas nos tam parvi pendimus, & quasi ludum perpetramus, procul ab eis fugituri, si sciremus, quid sit, quod facimus. Ex quo patet, quod scribit S. Basilius de misericordia Dei, quòd, cùm aspicit nostra peccata, duas facies in eis inveniat; unam, quâ movetur ad ea castiganda, tanquam suas injurias & offensas: alteram quâ movetur ad compatiendum malis, quæ inferunt: & hanc prævalere. Peccata nostra Christum adegerunt in crucem, impleverunt doloribus, & offenderunt ejus Patrem æternum: sed quia nos excæcant & condemnant, majorem compassionem habet nobiscum, quàm secum; & nihil locutus pro se, totus est in venia impetranda nobis, tanquam cæcis & ignaris.

IX. Crucifixerunt cum Domino duos latrones, ut mediis inter eos penderet, quasi dux latronum: & verè, non facultatum raptor, sed cordium. Nec erubuit peccatores habere socios supplicii, sicut non horruerat versari & manducare cum illis: venerat enim ut bonus Pastor, quærere oves errantes, & animam suam dare pro illis: simul ostendens nobis peccatoribus meliorem locum esse in sua cruce, quàm habuerit Adam in arbore vitæ, ex qua incidit in mortem: nam hæc arbor dat veram vitam, ut mors nobis nocere non possit. Hujus rei satis clarum argumentum fuit titulus, quem Pilatus jusserat affigi cruci supra Domini caput, & quidem tribus linguis, quibus omnis sapientia divina & humana

Inter latrones penderet.

humana conscripta est : qui tametsi displicuerit Judæis , noluit eum tamen mutare Pilatus , id agente Spiritu Sancto , ut inter tantas ignominias constaret omnibus , quòd verè , qui eas patiebatur , J E S U S Nazarenus , Rex Judæorum sit , & omnium animarum , quæ eum ut crucifixum amaverint , & secutæ fuerint : habituras enim in eo tanquam optimum Regem , protectionem vitam , divitias , & omnia bona . Et cùm hætenus remittebat peccata , defendebat peccatores , sanabat infirmos , id æternâ suâ potestate , tanquam supremum omnium Regem , fecisse .

*Compatitur
Maria filio*

X. Inter hæc mysteria non sunt prætereundi acerbissimi dolores , Virginis Dominæ nostræ : quæ ut non viderit affigi Filium , ictus tamen malleorum audivit , qui omnes cor ejus lancinaverunt ; & insuper expectavit , quod majorem dolorem allaturum erat , videre elevatum in cruce . Quem ut conspexit , quantum diligebat , tantum aspectu ejusdem dolebat : cùmque non posset resistere dolori , per turbas penetravit ad eam crucem , quæ ipsi soli parata & par erat , nulli alteri tolerabilem . Sed de hac re infra ex instituto agetur .

NB. *Merentur tanta mysteria , paucis comprehensa , per modum historia , distinctius perpendi . Unde pluribus exercitiis id exequemur , ut pro singulis gratia agantur Domino nostro .*

E X E R C I T I U M

Ad Christum nudum ante Crucifixionem.

I.

Videamus nunc , anima mea , quanto studio satagant hi expedire omnia necessaria ad crucifigendum Dominum : videamus , ut ferveant , ut clament , ut insaniant ejus inimici . En quàm inhumaniter eum spolient vestibus , jam agglutinatis saucio corpori ; quomodo eas extrahant violentè per caput , renovando puncturas spinarum . Aspice , anima , miserandam speciem , &

Cor IESU cor ejus nunquam otiosum , aut separatum à celo : quia videns *nunquam* se nudum , & solutis manibus , eas & oculos elevavit in cælum , & *visitur.* lacrimis perfusus pro te offert se Patri æterno . Accede ad eum , ani-

anima mea, & prostrata ad ejus pedes, ac si præsentem haberes, magno amore complexa sic alloquere: Hic, ô Jesu, ô amor animæ meæ! amplector divinos tuos pedes: iis alligabo cor meum, & priusquam affigaris cruci, totus amore tui consumar, antequam te mors eripiat oculis meis. Prius quàm te affigant, ô bone Jesu! his manibus, quas jam solutas habes, hanc animam peccatricem complectere, pro qua tantum pateris. Consume omnem malitiam meam, accende meam tepiditatem, & interiùs me alliga tibi.

II. O mi bone Jesu! ô divine Agnelle! ô pure & vere amor hujus animæ! recipe meos amplexus, & fac, ut puri sint ab omnibus rebus terrenis, ut bullientes tui amore, tibi sint gratiores. Conjice, Domine, oculus misericordiæ tuæ in hanc pauperem creaturam, nec abjice me à te. Accipe, Domine, hunc amplexum, quem ut possum, tibi do, ac desidero dare cum amore omnium te amantium. Tu, ô bone Jesu, tuo pretiosissimo sanguine consume, quidquid in me tibi non placet, ne quidquam sit, quod à te me separet. O verum refugium animæ meæ! quàm felix esset, qui se videret protectum à te, & admissum in amorem & amicitiam! quis me tunc diceret pauperem, licet omni re carerem? quis diceret me miserum, licet essem in hac mœstissima vita? In-^{illum qui}flammer à te, & ardeam tuo amore! & tunc nulla creatura me ^{possidet, di-}noverit, ab omnibus deserat, & proscribar, optimè contentus ^{vis est,}ero te solo. Ergo, Domine, ostende jam huic animæ pulchritudinem cordis tui: me consumat hic ignis, quo tu flagras: cadant super me ardentes hæ lacrimæ, quæ fluunt ab oculis tuis, ut lavent me, accendant me, consumant me, ac tibi jungant in perpetuum.

III. O Jesu animæ meæ, & omne bonum meum! sine quo sum egenus & pauper, video magnum fervorem te crucifigentium, & ego maneo, sicut eram priùs. Antequam te elevent, & eripiant è brachiis meis, sana, Domine, vulnera mea. Tu vides me non esse minùs vulneratum in anima, quàm tu sis in corpore. Tu es mea medicina: in te invenitur misericordia, quæ mihi est necessaria: & quia te mea peccata constituerunt in hoc statu, tu me-

liùs nōsti necessitates meas, quàm ego : qui neque illas confiteri possum, neque agnoscere ; licet oculis tuis omnes sint manifestæ. Qualis qualis sum, me ad tuos pedes abjicio : & quia novisti meas misérias, eas misericorditer mihi condona : & fac ut inter tantos dolores, quos mei sanandi causâ pateris, non maneam absque remedio. Si vis, potes me hâc horâ mundare : pœnitet me, quòd te offenderim, mallémque mori, quàm te rursùm offendere. Feri, Domine, cor meum dolore magno peccatorum meorum : fac, horream & oderim meipsum : accende me amore tuo : & aufer omnia obstacula, quæ sunt inter te & me ; ut non ampliùs offendam te, sed vivam semper tecum per amorem.

IV. O Vita ac certa spes mea, habes amorem, ut sinas te vulnerari pro me, ut sanguinem tuum effundas pro me, ut permittas te affigi cruci, ut moriaris pro me ; potéstne fieri, ut hac horâ non condones mihi mea peccata, non des mihi perfectum odium mei ipsius, & vires me emendandi, ac tantum amorem tui, ut non possim te ampliùs offendere ? Tu, bone JESU, habes amorem ad omnia : scio quòd magis desideres mihi dare, quod peto, quàm ego ; & propterea oppetis mortem ; sed in me vides causam illud negandi. O summum Bonum meum, & unicum remedium meum, fateor omnia impedimenta provenire à me : hac rogo, ut tollas à me : propter hoc adsto sacris pedibus tuis : pro hoc supplico totis viribus cordis mei.

V. Ego sum cæcus & ignarus, illumina meum intellectum, ô lux divina : fac, Domine, ut agnoscam qualis sim, & videam, quid me impediât ab illis bonis, & sejungat à te : da mihi perfectum odium omnium, quæ in me tibi non placent. Hoc, Domine mi, tuæ est operæ : amorem & misericordiam habes ad omnia. Si ego non sciam tibi me ex toto corde offerre, supple tu, quod deest : ideo enim es meus Redemptor : ideo fundis pretiosissimum sanguinem tuum, ut eo suppleas, quidquid meæ deest inopiæ : si tu, bone JESU, me deferas, quis poterit juvare ? si tu me non purges, quis expiabit mea peccata ? nam illa sunt, quæ me excæcant, & afficiunt his malis, quæ tu vides, ac solus potes mederi : miserere hujus creaturæ tuæ : ignosce, illumina, sana, resuscita me :

*Sanguine
suo inopiã
nostram
supplet.*

me: eradica mala mea; ut iis liberatus possidere te possim puro amore, crucifigi tecum, torus essetuns, & habere te pro unico summo bono meo.

VI. Quid hoc est rei, Magister veritatis æternæ? vis nudus crucifigi, nudus mori in cruce? non saltem tunicam retines, à matre tuâ sanctissimâ factam? nihil, ô bone JESU, vis retinere de terra: tunica in terra, & ex materia terrena, contexta est; ideo te gravat, molestat. Nudus venisti in mundum, nudus vis exire de mundo: non vis, ut mors te spoliet, sicut alios: sed vivus, antequam ascendas in crucem, abjicis omnia, & reddis terræ, quod suum est, ut nudus in cruce sis: nihil aliud vis à mundo, quàm crucem, vulnera, ignominiam & injurias: ea tantum pro te seligis, quæ dolent, occidunt, & omnes horrent: atque in his vitam vis finire. Nudus reconcilias Patrem, nudus pacem facis inter Deum & hominem, nudus aperis cælum, nudus satisfacis pro nostris peccatis, nudus doces arcana tuæ doctrinæ: nudus triumphas mortem, infernum, peccata & mundum: nudus ostendis perfectionem amoris tui: nudus ditas & reple nos bonis, & largiris, quidquid habes; quia per nuditatem non efficeris pauper, neque definis esse qui es, neque deficiunt tibi divitiæ tuæ æternæ & infinitæ.

VII. Doce, Lux divina, cæcam hanc animam omnia possidere omnia dimittendo: & quia non possum eò penetrare sine luce tuâ, lava meos oculos tuo sanguine, ut clarè videam subtilitatem & perfectionem sapientiæ tuæ, & puri amoris tui. O thesauræ cælestis, Fili Dei vivi, tam dives & incomprehensibilis es, ut solus exple-
Dimittendo omnia possidemus omnia,
re & satiari possis animas: tam magnus es, ut omnem capacitatem meam possis implere: tam suavis, ut rapias omnes facultates animæ: tam purus, ut nihil tibi possit comparari; tam pulcher, ut capias intima cordis; tam bonus amicus, ut devincias tibi omnes animas; tam ardens ignis es amoris divini, ut spiritus omnes accendas. Quid ergo magni est, quòd solus in hac animâ velis regnare, & velis eam nudam ac spoliatam omnibus rebus, nec feras mixturam alterius amoris? Et quomodo te manente in corde tanto, posset in eo recipi aliud quidquam? Tu scis, Domine, quòd

anima se accommodet mensuræ illius, quod amat: ergò si amet terram, quomodo majestatem tuam infinitam capiet? Tecum crescit anima mea, in te dilatatur, extenditur: tecum conformat se tuæ magnitudini: te repletur, & satiatur: quia tu, pure amor animarum, sufficis omnibus.

*Nihil amit-
simo amit-
tendo crea-
turam,*

VIII. O bone Salvator animæ meæ! quando me videbo tui amore separatam ab omni re mundi? ô si faceres mihi gratiam, ut me pro tuo recipias ac possideas! Et quid amitto, si omnes creaturas dimittam, & illæ me crucient? quia si tantum tuus sim, te solo, bone Jesu, dives sum satis. Separa, Domine, cor hoc ab omni, quod est extra te, & hoc fiat eo modo, quo tu scis & vis, non sicut caro imaginatur & vult. O quàm dives est, qui te sic habet! ô quàm felix, qui te amat hoc modo! cum te videam propter me sic denudatum, qua re tibi magis satisfaciam, quàm simili spoliatione & abdicatione omnium rerum, ac nuditate saltem internâ. Majores amici tui te secuti sunt nudi: omnis occupatio terrena gravis erat inflammato tuo Augustino: ipsa pellis sua oneri fuit Apostolo Bartholomæo: quos amor tui corripuerat, in deserta fugerunt; à vita & corpore suo, Martyres: & omnes, qui te verè amant, ac nudum vident in cruce, ex amore plorant, atque desiderant similes tui esse propter te.

*A quibus
Amor Cru-
cis nos sepa-
rat.*

IX. Hæc sunt opera tui amoris, ô amor prædator! ô amor transformator! tam dives, & tam pauper; tam locuples, & tam nudus; tam occultus & tam apertus; tam affixus, & tam liber ac triumphans! Quid hoc sit, Deus ac Dominus meus, tu solus doces, tu solus intelligis plenè, tu solus das sentire. Amor, qui te ad hoc impulit, faciat, ut hac ipsâ horâ mihi concedas hanc separationem ab omni re, & hanc unionem tecum: ille me separet à meipso, & faciat oblivisci omnium, quæ sejungunt à te; ille faciet, ut quidquid non video in te, mihi sit grave. Muta, Domine Deus meus, hanc ignominiam; vivas tu, & me crucifigant pro te; & si in hoc petendo sum nimis audax, amor tuus est, qui me docet hoc petere. Et si hoc fieri non potest, i sanè, mi bone Jesu, ad desideratam crucem tuam, & cruce affige tecum cor meum. Accende me, & separa me ab omni re mundi: conjunge in eâ me tibi; quia tu es gloria mea, tota spes mea, & thesaurus meus.

Q Vir-

O Virgo purissima, quæ plus aliis amas, & per amorem purior es ab omnibus rebus terrenis; impetra mihi hoc, quod experiris in te ipsâ de hac Veritate. O Cives cæli, capti solum amore hujus Domini, & ipso contentissimi, spargite unam scintillam vestri ignis in cor meum, ut absumat omnes fæces terræ, & liberet omni affectu terreno, & præda fiam amoris erga hunc Dominum ac triumphatorem.

E X E R C I T I U M

Ad Dominum, dum Cruci affigeretur.

I.

Jam crux parata est, anima peccatrix: accedit ad eam divinus Agnellus, ut videat, & experiatur tormenta sibi parata. O mi bone JE-SU! quare vis ista subire? jam consecrata est crux hæc à sanctissimis humeris tuis, quibus eam portasti: jam gratum & honorificum est in ea pati: jam nos peccatores possumus accipere ab ea remedium malorum nostrorum. Satis, ah satis est, Domine, quod jam passus es: manda, ut ego affigar in ea, & moriar, tu vivas. Manda hoc, ut Judex; & patiar ego ut peccator. Quiesce nunc à tantis tormentis, & incipiam ego pati pro te: quia id magis convenit mihi. Aut si tuus amor hoc non fert, per ipsum te oro, ut affigatur tecum cor meum, ne anem, aut quæram ullam rem aliam. Fac ut te cognoscam in ista cruce, in ea te amem, te quæram, in ea te inveniam ac possideam. Vide, anima, crudelitatem, quâ Dominum tuum affigunt, & jubent ut se extendat in cruce; & mansuetudinem, quâ eis obedit: ut metiuntur foramina, & ferreos clavos adigunt sine misericordiâ per nervos ac partes tenerrimas: & si potes, senti dolores illos immensos: si non potes, desidera saltem, & roga Dominum, ut tibi det sentire illos in corde, quos ipse patitur in sacratissimo corpore. Emolli Domine, duritiam cordis istius, ut penetrent illud hi clavi, & ego in anima sentiam tuos dolores, quos tu solus vis pati in corpore. Non maneat cor meum sine dolore, quem tu propter me pateris, ut accendar amore tui, gratus sim, & oderim peccata mea, quæ te huc adegerunt. or non
rum cum
ESV cru-
cifigendum,

eo, quod peto : quia non possum sentire tantos tuos dolores, nisi per infinitam misericordiam tuam mihi des hanc gratiam.

*Hujus pro
Peccatori-
bus oratio
ad Patrem.*

II. Extendit se divinus Agnellus in ara crucis, ut affigatur in ea : expandit amorosissima brachia sua, & sanctissimos pedes, oculos autem elevat in cælum, ac sine voce clamat fortiter in auribus Patris æterni, offerendo se pro nostris peccatis, & amoroso ac tenero corde sic loquitur : O Pater mi, glorifica me in hac hora, in quam veni ex obedientia tua : recipe me in vivum sacrificium pro toto genere humano. Ignosce peccatoribus, pro quibus tibi satisfacio : accende amorem tuum in toto mundo : converte ad me animas errantes, & dilata gloriam nominis tui. Non desit mundo, quod ipse non meretur, quia ego pro toto mundo tibi offero. Mitiga iram tuam : aperi thesauros misericordiae tuæ : nemo sit expers gratiæ tuæ : quia pro omnibus offero tibi hunc sanguinem, corpus & vitam in cruce. Aspice, Pater æternæ, cor meum, ut ardeat amore animarum, ac desiderio moriendi pro illis. Et ego, Domine, mereor, ut attrahas omnes in hæc brachia, quæ tui amore ad eos recipiendos expando. Venite ad me omnes, qui estis in peccatis, & ego vobis ignoscam : Venite omnes afflicti, & ego vos consolabor ; venite omnes errantes in hæc brachia, & ego vos recipiam : *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis ; & ego reficiam vos.*

*Matth. c. 11.
v. 28. & 29.*

III. O bone JESU, & bone Pastor hujus animæ errantis ! ecce me, recipe me, Domine, in brachia tua ; quia vocas me. Da mihi hunc amorem, & hanc humilitatem, ad cujus imitationem invito. Subjice tibi totum cor meum, & aufer tecum : imprime in anima mea tuam virtutem divinam, ut semper te proximè sequar, & nunquam à te recedam. Sufficiant anni, quibus fui surdus ad voces tuas, Domine, quibus me intus vocabas. Aperi nunc aures meas, ut audiam & sequar te. Non potes exhibere mihi majorem amorem, quàm ut sinas te affigi cruci, ut moriaris pro me. Ergo Salvator animæ meæ, noli mihi negare fructum horum dolorum : da mihi id, propter quod me vocas : largire mihi Spiritum tuum, recipe me in gratiam, & semper tene ma-

*Maximum
nobis in
cruce amo-
rem exhi-
bitis.*

num

num supra me: quia novisti quomodo consueverim te dimittere: vides, quantam causam habeam timendi meipsum, neque confidendi nisi in te. Ergo, mi Pastor bone, obedio voci tuæ: en! ovis perdita redeo ad obedientiam: recipe me iterum: fac ut obediam semper tuo Spiritui usque ad mortem, & absque omni resistentiâ.

IV. O Pater æterne! tu scis, me non posse elevare oculos ad intuendum te, præ pudore, ac pondere malorum meorum, & gravium peccatorum. Miseriæ hujus animæ sunt manifestæ divinis oculis tuis: grandis est ira, quam mereor, quod Unigenitum tuum induxerim in hunc statum. Si observaveris peccata mea, nullum habeo remedium vitæ; quia non merentur veniam. Sed ideo mihi dedisti hunc Agnum divinum, flagrantem amore mei, ut immoletur in hoc altari crucis pro meo remedio. Ipse est ^{In ea pro} Filius tuus, qui semper in omnibus implevit voluntatem tuam: ^{peccatis nostris immo-} ipsum dedisti mihi pro Magistro & Pastore: ipsi me commenda- ^{latus,} sti, ut eum accedam, & ab eo accipiam, quidquid mihi defuerit. Quando cum ipso tibi me sisto, non potes me non recipere; quia tibi placet in omnibus rebus; & tu vis nos per ipsum redire in gratiam tuam. Illum ego tibi offero in vivum sacrificium, & cum eo tibi offero peccata mea, & omnia mala ac miseriæ hujus animæ. Per illum debes mihi exhibere misericordiam, & ignoscere peccata mea: per illum dare mihi tuum amorem, ac detestationem culparum mearum: per illum tribuere mihi Spiritum tuum, ut in omni re imitari possim hunc divinum Agnellum. Recordare, Domine, quod ipse dixerit, te non posse negare spiritum bonum petentibus te. Hunc Spiritum, Domine, jam peto: & si ex mea ^{Supplet de-} parte non mereor exaudiri, suppleat defectum virtus sacrificii ^{factum sa-} hujus Agnelli, quod offero tibi. Da mihi Spiritum amoris, Spi- ^{crificii no-} ritum humilitatis, Spiritum mortificationis, Spiritum oblationis ^{stri,} & resignationis perfectæ in voluntatem tuam, Spiritum intelligendi & imitandi, quod ipse me docet. Ejus tantum Spiritus vivat in me; & fugiant omnes alii spiritus, qui me separant à te. Ipsi me configam, ut semper eum sequi possim: doce me cum ipso mori pro te: obtura sensus meos & cor meum contra res mundi, & fallacias ejus; & reclude illos tantum huic Domino, ut regnet in hac

in hac anima, & illa semper te amet, tibi seruiat, à te possideatur, ac te possideat.

V. Ergone, mi bone Jesu, Domine animæ meæ, vis omnino affigi ad istam crucem? nonne melius occuparentur hi pedes obeundo terram, & convertendo multas animas? & hæc divinæ manus nonne melius distinerentur illuminandis cæcis, curandis infirmis, erigendis mortuis, & levandis necessitatibus mundi? ergone, Domine, ab illis operibus cessans, vis affixus pati, & amittere vitam, peccatoribus tam necessariam? Adoro te, divine Magister, & infinitas gratias ago, quod me tot modis doceas occultam veritatem ac sapientiam crucis. Dum pedes & manus tuas tam necessarias animabus, pro quarum salute venisti, doces, eis plus profuturas patiendo in cruce, quàm nescio quæ miracula, & opera heroica patrando in libertate. Maximum opus, quod fieri potest, & gratissimum tibi est, amare, & id agere, quo amor magis ostenditur; atque hoc ipsum est, pati usque ad mortem. Hoc tibi placet super omnia, hoc plurimi pendis; in hoc reponis omnem substantiam ac pondus ejus, quod ab animabus exigis; hoc est, quod agis ipse, dum vivis, & in quo vivere desinis.

*Nemo dile-
ctus DEO
nisi crucifi-
xus.*

VI. O Sapientia æterna! imprime mihi hanc veritatem, quæ tibi tantopere placet, & quidquid illi adversatur, habes pro ludibrio. Quando anima est in dolore, & in cruce, caro illi subjecta est, vitia non regnant, appetitus in freno sunt, homo totus interior & exterior subjacet crucifixo, & plenè tibi deditus, obedit, te laudat, & amat. Non est sanctior ille, qui accipit majores favores, gustus & solatia; neque magis tibi placet, quem visitas continuis gustibus, nisi totus sit crucifixus. In tribulationibus, persecutionibus, derelictionibus, ærumnis, crucibus, desolationibus, qui tacet, sustinet, perseverat cum amore, hic est tibi dilectus, hic gratus, hic sanctior, hic pluri apud te pretii. Qui huc pervenit, potest dicere, se profecisse: & hic plus boni facit, plus fructificat in domo tua, quàm omnes alii, qui aliã viã pro te laborant.

VII. O Ignis divini amoris, qui revelas hanc veritatem in hoc Domino, quid agis, quod me non comburas, non me crucifigas

figas cum ipso, & me sinas otiosum, cum sua divina Majestas sit plena doloribus? O Domine animæ meæ! cum hæc sit vera sapientia tua, non me sinas vivere in tenebris: illumina me in illa, & cum videris me in occasione illam exercendi, non me sinas tergum vertere. Recipe me in tuum deinceps, & non permitte me recedere ab hac via, quam mihi ostendis. Da Domine tuas consolationes his, qui merentur, ac fideliter tibi serviunt; mihi da tuum amorem, & cum eo me crucifige, donec mutes me totum per amorem, ut non vivam, neque delecter, nisi patiendo pro te. Volo, mi bone JESU, parùm obire tuam crucem, ut aliquid mihi gratiæ facias ex quolibet dolore, quem tibi inferunt clavi.

*vera consola-
tio nostra
sit amor
crucifigens.*

AD MANVM SINISTRAM.

A Doro te, sacratissima manus, quæ condidisti cælum ac terram; quæ semper suscepisti peccatores, & sustentasti omnes, qui cum amore reclinârunt in te caput: ut in te quiescerent. Jam Domine, quia hæc est prima, quæ affigitur, quia vicinior divino tuo amori, & inflammato cordi, ac proinde majorem quoque experta dolorem; præcipe, ut cum illa simul affigant improbum & miserabile cor meum. Recordare, Salvator animæ meæ, quòd non exigas aliud ab homine, quàm ut præbeat tibi cor suum; quia tantùm in manu tua securum est. En hîc meum, Jesu mi bone! accipe illud hæc manu, ut simul configatur cum ea in cruce, ac semper maneat illi affixum, ne possit unquam ab ea separari. O quanta erit felicitas mea, si illud acceperis! ô quàm ero beatus, ô vita cordis mei, si illud acceptaveris! vides Domine, illud abire in mortem, si extra hanc manum fuerit: vides id pessum ire, si liberè tendat, quò lubet. Accipe illud, alliga, confige tecum, ô mi Jesu, & amor animæ meæ!

*Solum cor
à nobis
Deus exigit;

In quo sola
vivit.*

AD MANVM DEXTERAM.

A Doro te, sacratissima dextera Domini mei JESU Christi. Tu es robur omnium debiliùm: tu es illa, quæ distribuïs thesauros: tu illa, quæ monstras bona, & in quam intenti semper sunt oculi miserorum, expectantes à te auxilium. Non amittit bone JESU, potentiam ac vires tua manus divina, cum sinis eam

*In manus
Domini fi-
ducta non
stra collo-
canda.*

Rrr

affi-

affigi : imò assecurat confidentiam , quam habere debemus in ipsa. Confige cum ea , Domine , hanc miserabilem carnem , & flaccidam terram , tam timidam aliquid patiendi pro te , & tam animosam ad malum , ac debilem ad tua obsequia. Affige illam , Domine , cruci timore tuo : freno constringe ejus appetitus ac desideria : consume in ea legem contrariam spiritui & amoru tuo : mortifica in ea gustus adversos cruci. In te , ac pro te vivat semper spiritus crucifixus , ut tota ejus malitia , mollities & miseria consumatur.

AD SACROS PEDES CHRISTI.

Pedes Crucifixi nos usam docent veritatis.

ADoro vos , ô sanctissimi pedes , fatigati multis itineribus pro me factis , qui portastis Dominum usque ad crucem , in qua propter me suffigimini. Corrige , Domine , errores , ac distorta itinera , quæ hætenus feci : duc me per viam veritatis & legis , quam docuisti. Cum his pedibus affige devios gressus meos , ut mihi condonentur. Confige simul desideria & affectus animæ , ne seducantur per vanitates & peccata , sed sequantur semper vestigia pedum tuorum. Virtus hujus sanctissimi sanguinis decurrat per corpus meum & animam , ut me sanctificet ac purificet , muret ac totum transformet in te. Exalta me simul tecum affixum in ista cruce , mi bone Jesu , nec sinas me develli ab ea , donec in me perficias , quæ in ea me docuisti ; ut mortificatus , & plenus amore tui faciam semper tuam voluntatem.

O Mater Dei sacratissima ! per illos dolores , qui penetrarunt cor tuum , quando audivisti ictus malleorum , quibus affigebantur manus ac pedes Unigeniti tui : impetra mihi ab eo , ut sim ei socius in cruce , nec ab eo unquam sejungar. O Curia cælestis , opus & factura plagarum istarum , adjuva hunc peccatorem , & impetra mihi à Domino , ut solùm his vulneribus , & in eis vivam super terram , cum per ea tu regnes in cælo. Et quia gaudes fructibus horum sacratissimorum pedum , & manuum affixarum cruci , fac , ne illis caream , sed merito eorum obtineam societatem tuam , ad quam fui creatus. Amen.

EXER.

EXERCITIUM

Ad erectionem Crucis.

I.

Aperi, bone JESU, meos oculos, illumina meum intellectum, *In corde*
 emolli animam meam igne amoris tui hâc horâ, ut sentiam *sentiam te*
 in me crudeles dolores, & ingens tormentum, quo te nunc affi- *dolorem,*
 ciunt, crucem elevando in altum. Cùm hæc, Domine, patiaris *quem Do-*
 pro me, fac ut sentiam in corde meo dolorem, quem pateris pen- *minus in*
 dens à tribus clavis, luxatis omnibus membris tui sanctissimi cor- *corpore per-*
 poris. Fac, Domine, ut anima mea sentiat cum dolore crudeli- *subit.*
 tatem & clamores, quibus reelevant; ictus, quibus crucem fir-
 mant, ac stabiliunt: quibus omnibus renoyantur & augmentur
 tui dolores intensissimi, in omnibus juncturis, nervis & ossibus
 omnium partium corporis, quibus simul torqueris. Et tu imma-
 culate Agnelle, suffers omnia, nihil dicendo, recusando, lamen-
 tando, vel reluctando.

Cruce jam erecta.

II. Adoro te, Fili DEI vivi, Deus cordis mei, & amor
 animæ meæ! adoro te, Gloria justorum, & Corona beatorum!
 adoro te, Thesauræ omnium supernorum bonorum! adoro te,
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, pro me affixus in hæc cruce!
 adoro te, Arbor veræ vitæ, plena fructibus gratiæ & gloriæ, in *In eo inven-*
 Domino isto reclusis! Hic adoro prostratus coram te, & agno- *nitur quid-*
 sco te pro unica spe mea, in quo habeo, quidquid possum deside- *quid desi-*
 rare. Si me experiar pauperem, tu pro me satis es dives; si pec- *derari pos-*
 catorem, tu es Redemptor: si captivum, tu me liberas: si miserum, *test,*
 tu es misericors: si tepidum, tu ardes amore. In omni mea ne-
 cessitate invenio te, bone JESU, plenum remedio & voluntate
 succurrendi mihi in omnibus rebus. Amote, Deus animæ meæ,
 ac desidero te multò magis amare.

III. O si ex oculis meis fierent lampades, è sanguine meo
 oleum, è nervis & venis lychnus, ac totus amore tuo arderem
 intus & foris! parùm id esset pro eo, quod tibi debeo, videre me
 tecum

R. r. 2

tecum

*Triumphat
Amor.*

tecum crucifixum : & quia talis non sum , utinam velis , mi bone Jesu , videre me totum accensum tuo amore ! ô amor ! qui sic triumphasti divinum Agnellum , & fecisti in eo , quidquid voluisti ! Nunc magnus es , nunc contentus , nunc triumphas , quia tenes eum in dolore , ardore , amore . Adoro te , Amor divine , infinite , æterne , supreme , dives , potens , pulcher , affluens omnibus bonis ! combure me vi tuâ , & transforma in hunc Dominum . Adoro te , dulcis Jesu , suspensum in alto , plenum divinis operibus ! Non es tam sublimis , Domine mi , ut subito possis fugere in cælum , ac subtrahi oculis nostris : neque tam humilis , ut aliquid è terra possis attingere ; quia tecum habes unicam divinitatem tuam , & immolas corpus tuum pro me . Divina tua Virtus affert cruci omnia bona cælestia , & penetrat usque ad inferos , ibique finem facit expectationi & exilio tam longo justorum , te expectantium , ut eos tecum perducas in gloriam . Ibi exerces iudicium , & condemnas inimicos tuos : aperis portas cæli , ignoscis peccatoribus , eos reconcilians Deo . Ibi congregas filios , quos habes dispersos in mundo ; laceras sententiam mortis æternæ contra genus humanum ; sanctificas ærumnas hominum , & facis , ut sint via certa ad gloriam : inflammas corda , illuminas tenebras ac cæcitatem mundi , ac te , ô thesaure gloriæ , præbes omnibus , qui te volunt , & quantum volunt , & eo modo , quo te indigent .

*Iesus aliàs
ignotus , in
Cruce ab
omnibus
cognosci
voluit ,*

IV. O Vita animæ meæ , quænam hæc est insolita mutatio ? quid hodie te faciunt ? natus es velut in secreto , visus & adoratus à paucis pastoribus , ac tribus Regibus : agnitus in templo solum à duobus , vel tribus justis : triginta annis ignotus fuisti , tribus ab unâ civitate ibas in aliam , resuscitatus velut in occulto paucis apparuisti , nec diu ; ad cælum ascendisti in oculis paucorum , neque diu duravit aspectus gloriæ , ad quam ascendisti : sed affixum cruci te video in alto , publicè , in monte , ipso meridie , tempore Paschatis , ad quod frequentes convenerant undique , inter latrones , brachiis expansis , plenum dolore & amore . Benedicaris , Domine , lauderis & glorificeris in æternum à cordibus omnium , & ab omnibus creaturis ! Omnia opera tua finem habent , omnia absolvisti ; sed à cruce separari non vis : non agis de
testa-

*Ab ea agrè
separatus ,*

testamento, neque de sepultura; nihil aliud cogitas, quàm pati, dolere, amare; & hoc vis nos docere. Hic vis aequè cognosci ab omnibus absque discrimine, neque vis ut imitentur te in honore & gloria, sed in cruce; & in hac vis adorari, laudari, amari.

V. O Deus cordis mei, tam dives, tam liberalis, tam largus, tam pulcher! quis te amor hominum cepit? quid invenisti in nobis, ut sic nos amares? si ex me iudicium formare deberem de aliis, multas invenio causas, cur nos horreas; non enim amavite toto corde, cum tu id solus merearis ab hac anima. Non te quasi desiderio vivo tibi placendi, ac serviendi totis viribus; sæpe te offendi, non obediendo legibus tuis; vixi ad libitum carnis meæ; feci voluntatem inimicorum tuorum; semper fugi pati pro te, ac tecum; semper tepidus fui in spiritualibus rebus, semper promptus & alacer ad terrenas; ignarus cælestium, negligens & languidus in servitio tuo, diligens in propriis oblectamentis. Talis ergo cum sim, ac multò peior, quàm possim dicere, quid invenisti in me, ut me sic amares? ô amor sine mensura, sine lege, ^{Solo amore} sine ratione, plus quàm amans & urens; quia divinus es, ideo me ^{pro nobis} sic amas, & quia vidisti me ita corruptum, & expertem omnis ^{mortuum,} alterius remedii. Ut mihi medearis, te crucifigis; ut me salves, te immolas; ut me mutes, has tantas mutationes in te suscipis. O divine amor, quid potero dare in satisfactionem pro tam excessivâ Charitate? te ipsum, qui es infinitus, do tibi pro me; quia nihil video, quod plenè tibi possit placere, nisi te ipsum, cui me uniendo totum offero tibi. Peccata & miseras, quæ sunt propriæ facultates meæ, abjicio ad pedes crucis istius; corpus & animam, quæ mihi dedisti, in manus tuas repono sicut sunt, & injicio in hunc ignem, quo pro me, mi bone Jesu, consumeris.

VI. Recordare, dulcissime Jesu, quòd mihi promiseris, te, cum exaltatus fueris à terra, omnia tracturum ad te ipsum. Quamvis ergo per mea peccata peior sim nihilo, non ideo desino esse creatura tua, & opus manuum tuarum: & quia te, ^{Fiducia} Domine mi, pendentem in cruce habeo pro pignore omnium ^{peccatorum,} bonorum, quæ promissisti; sic tu pro pignore, quòd omnes sumus peccatores, indigentes tuâ misericordiâ, habes duos latrones, in

quorum medio pendes. Cùm itaque, Domine, jam omnia trahas ad te, fac ut ego non sim extra numerum eorum: trahè me ad te, Deus meus: conjunge me tibi, & muta me totum in te. Triumphame, Domine, sicut amor te triumphat; monstra gloriam potentia tuæ, ac thesauros misericordia tuæ, transformando me totum in te crucifixum. O Jesu, Domine animæ meæ! da mihi, ut solus tu regnes & vivas in ea; & ego vivam crucifixus in te: lucrum meum sit, mori pro te, & in te vivere sit vita mea. Non discedas à corde meo, nec discedat unquam à te cor meum, nec desiderium meum, nec amor meus. Hoc momento, quoad me, desinant omnia; & solus tu, Jesu mi crucifixe, maneas mecum; quia tu es amor animæ meæ, vita omnis mortis meæ; unicum bonum meum, omnis felicitas mea, Jesu. O amor! ô Jesu! ô mi crucifixe Jesu! nescio loqui, nec petere aliud; omnia quoad me desinant; solus tu, Domine, loquere, vive, regna, posside, ure, combure cor meum; quia sum, & ero post semper tuus, ô Gloria mea, ô spes mea, ô mi crucifixe, & vere amice Jesu!

Tota felicitas suorum

ÆRUMNA XLIV.

Mora Christi in Cruce.

I.

Quantum Redemptori doluerit lenta mors.



Maxima, plurima, & incompatibilia sunt, quæ Dominus noster Jesus Christus pertulit in cruce, dum in ea pependit. Unum è præcipuis fuit, quòd lentè cogere-
retur mori, & aliquot horis morari in illis doloribus; quibus etsi potuisset extingui celerius, quia totus debilis, exanguis, & exhaustis viribus in eam suffixus est, ac tormenta fuerunt intolerabilia; sustentavit tamen humanitatem v̄ Deitatis, ne moreretur antè, quàm pertulisset, quidquid pati decreverat. Atque ut inter illa nihil habuit refrigerii, sic dilatio mortis immensum creavit ei dolorem. Nam si caput acclinaret cruci, altiùs penetrabant spinæ coronæ: si nusquam acclinaret, multò magis sentiebat dolorem, quem acclinatio lenire potuit, si absque spinis fuisset: si caput inclinaret, videbat multa, quæ contristarent, mœrorem amicorum inimi-